



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Dispytatio LV. De libertate Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA
QUINTA.

De libertate Christi.

EX sancto Thoma hic, quaestione 20. art. 1. Corpore notandum, prater generalem illam subjectionem, quam res omnes creatae habent respectu potestatis divinae eo ipso quod creaturae sint; prater hanc, inquam, subjectionem peculiariter creaturam rationalem subesse Deo, ut praeipienti, & consequenter praeceptorum capacem esse ipso facto quod creatura rationalis sit. Unde anima Christi, & praeceptorum capax fuit, & mandata sibi imposita habuit, non naturalia solum, ut non mentiendi, & similia; sed etiam positiva, faciendi scilicet hoc vel illud, quod alioqui facere non tenebatur: Quare, de se ait Christus Ioannis c. 14. v. 31. dum ad mortem pergeret, Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; & Apostolus ad Philip. 2. Factus obediens usque ad mortem: Quae Scripturae loca, etsi nonnulli ex Graecis Patribus explicent de mandato late sumpto, sicut humanitatis causa amicis dicimus ipsorum voluntatem nobis esse mandatum, communiter tamen supponitur Christum à Patre verum mandatum habuisse, saltem moriendi ob redemptionem generis humani: unde Ioan. 10. ait idem Christus, hoc mandatum accipi à Patre meo, nempe ut animam poneret pro salute hominum. Solum ergo hic explicandum restat qua ratione cum praecepto moriendi stare potuit in Christo libertas ad non moriendum, quae tamen ad meritum videtur necessaria, si namque ad moriendum fuisset planè necessitatus, nullum ex substantia mortis ejus provenisset meritum.

SECTIO PRIMA.

Quo pacto cum impotentia ad peccandum stet in Christo libertas.

I.
Primus procedendi modus de sensu composito & diviso praecepti.



MITTO hac in re modum procedendi Thomistarum, qui dicunt Christum in sensu quidem composito praecepti non esse liberum, sic tamen in sensu diviso, sensus autem compositus, inquit, est solum necessitas secundum quid. Sed haec non solvit difficulta-

tem; quicquid enim necessaridè connexum cum impletione praecepti ponitur antècedenter ad illud, tollit indifferentiam ad illius executionem, ergo si praeceptum positum necessitet, tollit libertatem simpliciter, eadem quippe ratione probaretur amorem in patrià esse liberum, cum in sensu diviso visionis non necessitetur anima ad amandum Deum.

Secundò itaque dicunt nonnulli liberè Christum implevisse praeceptum mortis, quia ita mortem de facto acceptavit, ut potuerit illius acceptationem purè omittere, non tamen per actum positivum: & si inferas, ergo potuit peccare, negant

II.
Alii libertatem Christi ad reddendum, quòd à mortu acceptatione potuerit purè omittere.

negant consequentiam, ad peccatum enim, inquit, requiritur ut sit voluntarium & liberum, quod sine positivo voluntatis actu, à quo denominationem voluntarii formaliter accipiat, fieri non posse asserunt.

III. Hæc solutio ab omnibus rejicitur, quia dato possibilem esse puram omissionem, agrè quis negaverit eam esse liberam, ut patet in libertate contradictionis, si verò sit libera, erit peccatum. Secundò: si pura omisso sit possibilis, frequenter contingit, quare si dari possit non libera, posset quis attendendo ad rem præceptam, ad quam habet libertatem sufficientem ut eam præstet, omittere tamen sine culpâ; unde quoties quis peccat contra præceptum positivum, confiteri deberet peccatum illud ut dubium. Contra tertio: Nam secundum hunc modum non videtur posse Christum obligari ex præcepto ad mortem subeundam, cum sine culpâ possit illam omittere.

IV. Tertio: Suarez hîc, disp. 37. sect. 3. quem sequuntur Albertinus principio 5. corol. 3. dub. 1. & ex parte Tannerus hîc, quæst. 6. dub. 4. ait et si Christus posito præcepto non potuerit non mori, liberè tamen, inquit, est mortuus, quia ex vi unionis exigebat auxilia, efficacia quidem, sed libera, per quæ impleturus esset certissimò præceptum, ita tamen ut ad illius impletionem non necessitaretur, cum principium immediatum & intrinsecum operis, per quod implebat præceptum, esset indifferens, omnis autem alia determinatio est extrinseca, & consequenter non necessitans simpliciter.

V. Sed contra primò: Non implere præceptum est peccatum, sed Christus non potuit committere peccatum, ergo non potuit non implere præceptum, ergo erat necessitatus ad illius impletionem, necessitas autem quævis, sive ab extrinseco sit, sive ab intrinseco, tollit libertatem, cum determinatio ad unum undecunque proveniat, stare nequeat cum indifferentiâ ad operandum & non operandum: cum ergo hæc determinatio sit antecedens, tollit libertatem: sicut si Deus non præberet concursum in actu primo tolleretur libertas, licet concursus Dei sit quid extrinsecum.

VI. Dices: Concursus Dei, quamvis sit quid extrinsecum, spectat tamen ad causam efficientem, substantia verò non concurrat ad operationes effectivè, & consequenter minus spectat ad illarum libertatem. Contra: Quævis namque conditio antecedens actionem & determinans ad unum æquè tollit indifferentiam potentie ad utramque partem contradictionis, ac quodvis principium influens, sicut communiter dicitur cognitio non influere in actum voluntatis, sed solum esse conditio respectu illius, & tamen visio beata æquè necessitat ad amorem, ac prædeterminatio physica ad quemvis actum in viâ.

VII. Secundò: Impugnatur hæc sententia ostendendo non posse Deum præbere auxilium indifferens, si namque concursus, quem offert Christo Deus, sit indifferens, ergo est talis ut possit non habere effectum, ergo illo stante potest Christus simpliciter non implere præceptum, ergo peccare, ergo licet de facto nunquam esset peccaturus Christus, cum auxilium hoc sit efficax, posset tamen peccare, cum relinquatur in ejus voluntate indifferentia ad utramque partem contradictionis: licet ergo hoc numero auxilium, quod habuit Christus fuerit secundum se indifferens in sensu diviso præcepti, & unionis hypostatica,

in his tamen circumstantiis non relinquat potentiam indifferentem ad utramque partem contradictionis, cum altera pars sit peccatum.

Quartò alii dicunt propterea Christum liberè esse mortuum, quia præceptum, inquit, est solum quid consequens, vidit enim Deus antecedenter ad præceptum, quo se esset inclinatura voluntas humana Christi, ex quâ præscientiâ præcepit ipsi susceptionem mortis, quam conditionatè vidit fore ut liberè amplecteretur. Sed contra: Vel vidit Deus quid esset factura anima Christi, etiam posito præcepto, vel non, si secundum, ergo non facit ad præsentem quæstionem, hîc enim quærimus de actu obedientie, quo implevit præceptum, & consequenter debebat videri actus ut vestitus omnibus circumstantiis, ex quibus una est præceptum: Si verò primum, non potuit Deus videre Christum ita amplectentem mortem, ut potuerit nolle mori, cum nolle mori esset peccatum, ut dictum est.

VIII. Dicunt alii, præceptum esse tantum quid consequens ad acceptationem mortis in Christo.

SECTIO SECUNDA.

Quid sentiendum circa libertatem Christi.

Dico primò: Christus per observationem præceptorum naturalium non mentendi verbi gratia, &c. à quibus eximi non potuit, verè meruit: ita omnes communiter. Ratio est, quia esto Christus mentiri non potuit, potuit tamen actu magis vel minus intento, ex hoc vel illo motivo, quæ non solum est libertas merè physica, sicut cum quis ex duobus individuis æqualibus alterum eligit, sed etiam in genere moris, & laude ac estimatione digna. Actus verò ille positivus, quo Christus implevit præceptum naturale negativum, fuit omnino liber, etiam quoad totam speciem actus, sine ullâ omnino vel indeterminatâ necessitate. Ratio est, quia potuit Christus simpliciter per puram omissionem satisfacere huic præcepto, ergo actus positivus ad hoc non erat illo modo necessarius.

Dico secundò: Christus non fuit liber ad implendum & non implendum præceptum mortis. Ratio videtur clara, quia non impletio præcepti est peccatum, sed Christus non est liber ad peccatum, ergo.

Dico tertio: Quamvis Christus non potuisset absolute nolle mori, liber tamen fuit quoad mortis circumstantias: ita Valentia hîc, quæst. 19. punct. 2. Vasquez disp. 74. cap. 5. Lessius de Prædestinatione Christi, sect. 3. Suarez sect. 4. estque communis inter recentiores. Ratio est, quia esto habuerit Christus præceptum, etiam absolutum moriendi, non tamen erant determinatæ omnes mortis circumstantie, sed poterat Christus hoc vel illo tempore & loco, ex hoc vel illo motivo, &c. mortem amplecti, ergo quantumcumque fuerit Christo necessaria mors, circumstantie tamen erant Christo liberae.

Hæc ergo libertas sufficit ad meritum, estque libertas non merè physica, sed etiam in genere moris: nec est paritas in eo quod communiter obicitur, si quis adjudicatus sit mortì, vel carceri, parum referre quod eligat in hac vel illâ cruce mori, seu quòd in hoc vel illo carceris angulo se locet; esto enim hoc exiguum sit in estimatione morali, pati tamen talia vel talia tormenta,

I. Per præceptorum naturalium observationem meruit Christus.

II. Christus non fuit liber ad implendum & non implendum præceptum mortis.

III. Liber fuit Christus ad mortis circumstantias.

IV. Libertas circumstantialis non est physica tantum, sed moralis.

menta, mori in loco celebri vel obscuro, unde major oriatur mortis ignominia, ex hoc vel illo motivo mortem acceptare, sine dubio sunt circumstantiæ multum ad æstimationem moralem mortis facientes. Si tamen fuissent determinatæ omnes omninò circumstantiæ specie diversæ, & solùm relictum fuisset liberum Christo hoc vel illo actu, numero tantùm distincto mortem amplecti, licet quidem tunc sit libertas physica respectu horum actuum, cum nullus in particulari à Christo exigatur, nulla tamen esset libertas in genere moris, cum hoc vel illo actu ejusdem omninò rationis mortem amplecti, quoad æstimationem moralem parum habeat momenti.

V. Certum videtur omnes mortis circumstantias non fuisse Christo præceptas.

Quòd verò non fuerint in particulari præceptæ omnes circumstantiæ mortis Christi, videtur certum, nam ut optimè ostendit Valquez cap. 4. & 5. non videtur probabile æternum Patrem singula sigillatim præcepisse, nempe motivum, intentionem actus, diem, locum, &c. tum quia ut hoc non fieret exigere videtur dignitas Christi, tum quia in nullo alio præcepto hæc omnia definire solet Deus, ergo nec in hoc præcepto verisimile est eum id fecisse.

VI. Ipsa etiam mortis substantia fuit Christo libera.

Dico quartò: Non circumstantiæ tantùm, sed ipsa mortis substantia erat Christo libera. Hanc conclusionem probat Sanctus Thomas in catenâ ex Sancto Chrysolomo super verba illa Matth. 26. vers. 53. *An putas quia non possum rogare Patrem, &c.* ubi ostendit Christus se mortem voluntariè suscepisse, quo etiam sensu dicit idem Christus Joan. 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam, hoc mandatum accepi à Patre: quod etiam probat illud Isaïæ 53. vers. 7. Oblatus est quia ipse voluit: quæ omnia liberam aliquo saltem modo fuisse Christo mortem clarè ostendunt.*

VII. Primus modus defendendi Christi libertatem est, fuisse ipsi impositum, præceptum mortis dependentem ab illius acceptatione.

Variis hoc novis declarari potest: primò, si dicamus cum doctis quibusdam recentioribus fuisse impositum præceptum mortis dependentem ab illius acceptatione, quòd expressè affirmant Sanctus Chrysolomus, & Sanctus Anselmus, datam scilicet fuisse Christo primo conceptionis instanti optionem vitæ passibilis vel impassibilis, & dependentem ab electione vitæ passibilis fuisse Christo impositum præceptum moriendi pro salute hominum, probantque ex illo ad Hebræos cap. 12. *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ: & Psalmo 39. ubi sic inducitur loquens Christus æterno Patri: Sacrificium & oblationem nolui, aures autem perfecisti mihi, quem locum alii legunt, aures autem perforasti mihi, dicuntque allusionem fieri ad consuetudinem Judæorum, ut notat Salmeron, & alii, apud quos in more erat, ut servo post septennium daretur optio libertatis, quam si renuebat, perforabantur illi aures, & perpetuò servus manebat: sic cum Christus corpus mortale elegisset, recusatâ impassibilitate, præceptum crucis subeunda ei imponebatur, & mancipii instar ad ignominiosam mortem ductus est, quam tamen si voluisset, effugere potuisset eligendo impassibilitatem, sicque liberè passus est, & mortuus, dependentem scilicet à primâ illâ electione, per quam elegit mortem, cum tunc potuerit eam non eligere.*

VIII. Ob hoc. Hinc sequi totum negotium.

Dices cum Patre Suarez, secundum hunc modum defendendi libertatem Christi, reduciur totum redemptionis humanæ negotium in voluntatem humanam Christi, cum penes ipsam fuerit

mandatum accipere vel non, hoc autem inconveniens videtur, cum redemptio hominum fuerit præcipuum opus Dei: Respondeo distinguendo antecedens reduciur hominum redemptio in voluntatem humanam Christi secundum se: nego antecedens, in voluntatem humanam Christi ut præventam auxilio efficaci & scientiâ conditionatâ quid esset facturus Christus; si hoc illius potestati permitteretur, concedo, in hoc autem nihil incommodi, cum hoc modo Christo tanquam Redemptori bona quæ habemus omnia debeamus, & nihilominus singularissimum esse opus Dei agnoscamus, qui ita Christi voluntatem præveniret, ut hoc vellet.

Secundus modus, quo defendi posset ipsam mortis substantiam fuisse Christo liberam, est, ut dicamus impositum ipsi fuisse præceptum dependentem à conditione, vel ab ipso Christo ponendâ, vel poni permittendâ. Quando itaque impositum fuit Christo præceptum moriendi, non ita injunctum ei fuit mori, ut deberet curare se interficiendum, sed casu quo à Judæis mors ei inferretur, quod inter alios docet S. Anselmus, libro, *Cur Deus homo*, cap. 8. Non videtur, inquit, Christo nudè præcepta mors, sed ut justitiam indeclinabiliter sectandam, verbo & exemplo doceret homines mortem, si ob hæc inferretur, pro eorumdem salute perferret: in Christi autem potestate fuit quo minùs hoc ipsi vellent, utpote qui in manu suâ eorum corda haberet, cum collatio omnis auxilii & cognitionis à Christo penderet, unde eorum voluntates ad quilibet potuisset inflectere, & efficere ut de morte ipsi inferendâ nunquam cogitarent, sed potiùs summo ipsam honore prosequerentur.

Hic uterque modus probabilis est, non tamen ostendit fuisse impletionem præcepti moriendi Christo liberam quoad substantiam immediatè, sed solùm mediatè, nempe primum illius acceptationem, aut conditionis positionem, positâ autem conditione & acceptatione, necessitabatur Christus ad mortem subeundam, unde mortuus est immediatè ex necessitate, & ad summum dici potest fuisse Christo liberam illius circumstantias juxta tertiam conclusionem.

Tertius itaque quorundam recentiorum dicendi modus, quem referunt Suarez, & Valquez, est, propterea fuisse Christo liberam ipsam mortis substantiam, quia potuit petere præcepti illius dispensationem, quam si petisset, fuisset ipsi concessum non mori. Cum ergo in Christi potestate fuerit dispensationem hanc petere, utpote penes quem stabat quòd eam non petierit, penes ipsum etiam fuit, quòd sit mortuus, sicque liber fuit ad moriendum & non moriendum. Hoc probant loca illa Scripturæ supra in conclusione quartâ allata ad ostendendum mortem Christo fuisse liberam.

Dices primò: Nec secundum hunc modum fuisse immediatè liberam Christo non mori. Responderi communiter solet negando antecedens, sed semper poterat immediatè nolle mori, sicut si sciret quis superiorem, ipsum liberaturum à recitatione Officii exempli gratia, si petat dispensationem, potest hic absolutè & immediatè dicere, nolo recitare Officium, licet semper cum relatione ad dispensationis petitionem.

Dices secundò: Vel præceptum mortis Christo ab æterno Patre impositum, erat absolutum, vel conditionatum; si secundum, ergo non egebat dispensatione; si primum, tolli non potuit cum

nostra redemptio reduci ad voluntatem humanam Christi.

IX. Volunt alii, illos mortem Christi fuisse liberam, quia præceptum moriendi ei impositum fuit dependenter à conditione ab ipso Christo aliquo modo ponendâ.

X. Neuter ex his modis ostendit mortem fuisse Christo liberam quoad substantiam immediatè.

XI. Tertius modus libertatem Christi declarandi est, talis enim mortuus esse liberè, quia potuisset petere & obtinere dispensationem.

XII. Ob hoc. Negat hanc præcedentiæ vim ostendere fuisse Christi immediatè liberam non mori.

XIII. Ob hoc. Hinc sequi totum negotium nec potuit cum

esse condi-
tionatum,
nec ad soluta-
tum.

cum efficaci Dei voluntati nihil sit quod resistat, ergo. Respondeo omne præceptum positivum esse aliquo modo conditionatum, unde hoc etiam præceptum non fuit omnino absolutum, sed casu quo Christus dispensationem non peteret, non est autem cur hoc modo imponi præceptum à Deo nequeat, cum frequens hic sit præceptorum modus. Nec urget id quod objicit Vasquez, Christum in horto dispensationem hujus præcepti petiisse, quam tamen non obtinuit; Christus enim non omnino efficaciter id petebat, sed solum ostendere volebat mortem sibi secundum naturam humanam fuisse disconvenientem.

XIV.
Quid si
Christus ad
ultimum
vita instantis
pervenisset.

Hinc infero: Etsi ponamus Christum ad ultimum instans præfixi sibi ab æterno Patre vitæ temporis pervenisse, potuisse tamen ipsum etiam in illo nolle mori, cum sciret quocumque instanti dispensationem petiisset, se illam fuisse certissimo obtenturum. Et licet sciverit Christus mortem suam fuisse à Deo præfinitam, hanc tamen præfinitionem sciebat esse solum consequentem, siquæ dependere à liberâ ipsius acceptione, & hoc pacto nihil obstat illius libertati, cum cognitio illa in mortis acceptionem non influeret.

XV.
Hic modus
defendendi
Christi libe-
ratiem
videtur ex
omnibus
præcedenti-
bus aptissi-
mus.

Hic modus ex omnibus videtur aptissimus ad salvandum quo pacto præcepti impletio, etiam quoad substantiam, fuerit Christo libera, unde licet ita impostum fuisset præceptum ut omnes circumstantiæ fuissent determinatæ, adhuc fuisset libera mors Christo quoad substantiam, cum etiam tunc petere & obtinere potuisset dispensationem.

XVI.
Obicit Chris-
tum ex lege
naturali
charitatis
necessarium
fuisse ad mor-
tendum pro
humano ge-
nere.

Dices tertio: Ex alio capite videtur Christo fuisse necessariam mortem, quoad substantiam; ad hanc enim obligabatur præcepto naturali charitatis, cum mortem suam ad salutem hominum videret esse necessariam, unde videtur debuisse Christum necessariò pati pendendum naturalis vitæ post breve tempus recuperandæ, ob tantum universi humani generis commodum. Respondetur, alias fuisse vias homines redimendi, nec fuisse ex se necessariam mortem Christi; potuisset enim Christus quavis actione hoc præstare, nec si ponamus eum habuisse ejusmodi obligationem ex charitate, tenebatur ad plus præstandum quam ad satisfactionem condignam exhibendam, si autem Pater eam noluisse accipere non stabat per Christum.

XVII.
Potuit Chris-
tus quovis
vita instanti,
vita in-
tentionis di-
cere, Nolo
mori.

Hunc respondendi modum eò plenius proposui, quòd eum valde probabilem judicem. Secundum hanc ergo responsonem existimo potuisse Christum quovis vitæ instanti viâ intentionis, seu intendendo petere dispensationem, dicere: *Nolo mori*. Potuisset etiam quovis instanti liberè dicere: *Volo mori*, imò & liberè etiam dicere: *Volo mori ex obedientiâ*, nunquam tamen dicere potuit: *Volo mori ex obedientiâ liberè*, ad moriendum siquidem ex obedientiâ debebat stare præceptum, hoc autem stante, non fuit liberum Christo, quantumcumque illud primo instanti liberè admisit, non mori; hoc quippe fuisset refragari præcepto, & consequenter peccare.

XVIII.
Res hæc
sæpius
Theologico
declarat.

Res hæc declaratur exemplo: Ponamus Deum hoc pactum tacere cum Petro, eo instanti, quo elucueris actum humilitatis, dabo tibi prædeterminationem physicam ad actum charitatis (in sententiâ dicente prædeterminationem physicam tollere libertatem, de quâ re nihil affirmo) in hoc casu Petrus est liber ad habendam prædeterminationem physicam, eâ tamen positâ non est

liber ad non eliciendum actum charitatis, nulla autem physica prædeterminatio magis quemquam necessitat ad actum aliquem eliciendum, quam præceptum moriendi necessitat Christum ad moriendum, nec ad hoc est liber formaliter & immediatè, sed radicaliter tantum & remotè, quatenus nimirum potuit non acceptare præceptum, illiusque continuationem, ut de actu charitatis proximè dictum est. Hic tamen respondendi modus sufficienter ostendit ipsam mortis substantiam fuisse, saltem mediare, Christo liberam, cum potuerit causam mortis, nempe præceptum, tollere.

SECTIO TERTIA.

Alius modus quo procedunt nonnulli ut salvent libertatem Christi in morte subeundâ.

ALIAM quorundam video circa libertatem Christi in moriendo procedendi viam: dicunt itaque Christum non habuisse propriè & rigorosè præceptum moriendi, quòdque sub illo omnino peccato obligabat, sed impropiè tantum, quatenus scilicet præceptum significat ordinationem & directionem superioris sub nullo, no veniali quidem peccato per illam obligantis, quales in variis regionibus sunt regulæ, quas religiosi servando veram exercent obedientiam, cum per eas voluntas superioris iis inimeretur, ipsique obsequendo, eise subjiciant & obtemperant. Hunc modum defendendi libertatem Christi in præcepto moriendi tradit & fusè explicat Lorea hic, quaest. 19. disp. 63. plurèsq; alios pro eadem citat, ut Paludanum in 3. dist. 12. quaest. 2. art. 3. Dionysium Carthusianum in 3. quaest. 3. art. 2. & alios: in quâ etiam sententiâ videtur esse S. Chrysostomus Homiliâ 28. in Epistolam ad Hebræos, S. etiam Cyrillus Alexandrinus lib. 7. in Joannem cap. 7. vel alter non exiguæ auctoritatis, si liber ille non sit S. Cyrilli. Nec ab hac opinione alieni videntur alii Patres. Hanc insuper sententiâ ex antiquioribus Theologis tenet Victoria, eamque fusè defendit. Hunc proinde libertatem Christi in moriendo explicandi modum non improbabilem judicat Cardinalis de Lugo hic, disp. 26. sect. 8. n. 100. & Arriaga hic, disp. 42. sect. 2. num. 22. eam censet esse valde probabilem.

I.
Negant ali-
qui Christum
habuisse prop-
riè præcep-
tum moriendi.

Quoad me nihil video cur, saltem quantum ad obedientiam, hæc viâ Christi in moriendo libertas defendi nequeat; nec enim in eâ quidquam apparet veræ & perfectæ obedientiæ repugnans: imò Sanctus Thomas de peculiari ratione obedientiæ loquens 2. 2. quaest. 104. a. 2. hoc genus obedientiæ ait esse perfectius, sic enim habet: *Voluntas superioris, quomodocumque innotescat, est quoddam tacitum præceptum, & tanto videtur obedientia perfectior, quanto expressum præceptum obediendo prævenit, voluntate superioris intellectâ.*

II.
In hac viâ
defendendi
libertatem
Christi nihil
est perfectæ
rationi obe-
dientiæ con-
trarium.

Ceterum contraria sententiâ sacris literis multo est conformior, in quibus sæpe continetur præceptum Christo à Patre fuisse impostum; sic enim Joannis 10. vers. 18. dicit Christus: *Hoc mandatum accepi à Patre meo*: Joannis etiam 15. vers. 10. *Ego Patris mei præcepta servavi*, idèmq; in aliis Scripturæ locis frequenter expressis verbis continetur, unde non leve ex divino verbo

III.
Christo im-
posita fuisse
præcepta,
non semel
rebat.

sumitur fundamentum asserendi Christo verum & proprium impositum fuisse præceptum.

IV.
Dices: in illis Scriptura testimoniis nulla sit mentio præcepti moriendi.

Dices: Hæc parum faciunt ad præsentem difficultatem, ex prædictis enim locis solum habetur fuisse quidem Christo imposita quædam præcepta, nulla tamen in illis testimoniis sit mentio præcepti moriendi, de hoc autem in præsentem inquirimus, Utrum nimirum ejusmodi ei mandatum dederit Pater, ut illius in moriendo libertas inde minueretur. Contra primò: Si enim de aliis rebus admittatur rigorosa præcepta fuisse Christo imposita, gratis omnino hoc negabitur de præcepto moriendi, cum mors ejus maximi ex omnibus momenti fuerit, rerumque à Christo gestarum, & nostræ redemptionis consummatio, quæque à Patre, dum illum in hunc mundum mitteret, præcipue intendebatur. Contra secundò: Joannis namque 14. sine, illâ ipsâ nocte quâ captus est à Judæis, cum jam iret ad passionem dixit: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: Surgite, eamus hinc*, nempe ad passionem, ergo hoc erat mandatum illud, de quo ibi loquebatur. Cum itaque vox præceptum, seu mandatum, ut observat Suarez libro 3. de Legibus, cap. 26. semper importet obligationem sub peccato, ex his Scripturæ locis satis clarè inferitur Christum citra dispensationem non potuisse non profundere vitam pro humani generis redemptione. Præceptum insuper, nisi restringatur, accipi à Theologis solet pro vero & proprio præcepto, cum ergo juxta regulam ab omnibus assignatam, Scriptura quando sine incommodo potest, intelligi debeat proprie, hic autem nullum sit incommodum, non est cur ad improprium eam sensum quis detorqueat, sed dicendum, Christum proprium habuisse præceptum moriendi.

V.
Opinio de præcepto latè sumpto parum conducit ad salvandam Christi in moriendo libertatem.

Adde: Etiam si hujus sententiæ auctoribus concedamus non fuisse Christo impositum præceptum rigorosum, sed quale tantum est in quibusdam religionibus, in quibus regulæ non obligant sub peccato, nihilominus est moralis quædam imperfectio regulas illas seu præcepta transgredi, Christus autem, quamvis imperfectiones quas appellant negativas, seu quæ merè in carentiâ majoris perfectionis sitæ sunt, habere possit, nec enim dubium videtur quin actus virtutum intensiores elicere potuerit, quàm de facto elicit, imperfectionis tamen omnis moralis positivæ, qualis absque dubio in hujusmodi religioso esset non observare suas regulas, quantumvis non obligent sub ullo peccato, planè fuit incapax, ergo in hac sententiâ tam fuit Christus necessitatus ad moriendum, quàm in illâ, quæ asserit eum habuisse præceptum proprium & rigorosum moriendi, propter indecentiam scilicet in tali imperfectione morali repertam, ob quam indecentiam Christus hujusmodi imperfectionem habere nullâ ratione potuit.

VI.
Quid de quibusdam ex Græcis

Verum quidem est nonnullos ex Græcis Patribus, & peculiariter S. Chrysostomum subinde insinuare Christum, verum & proprium præ-

ceptum sibi à Patre impositum non habuisse, sed improprium tantum, supra, num. primo explicatum: Unde Homiliâ 7. in Epistolam ad Philippenses Christi obedientiam contra Arianos declarans, sic habet: *O insensati, & amentes! nam & amici nos obediimus, & nihil nos hoc deiecit, ut Filius obedivit Patri, non in servilem conditionem decidens.* Idem affirmare videtur Theodoretus, Theophylactus, & alii. Respondetur: Cum inter Græcos multi extiterint hæretici, Ariani præcipue, qui Christi divinitatem impetebant, ejusque suppositum, in d totum Filium creaturam quiddam esse dictabant, totos in eo fuisse Græcos Patres, ut Christi divinitatem naturam stabili- rent, Filiique etiam suppositum, in hoc mysterio Patri æquale fuisse ostenderent: Unde quicquid imperfectionem, vel per umbram saperet, à Christi supposito secundum se spectato, cui præcepta, & id genus alia adscribebant hæretici, omni conatu amovebant, de humanâ tamen Christi naturâ, nihil hujusmodi negabant, quo sensu dicebat S. Chrysostomus Legislatorem non esse suæ legi subiectum, sicque Christum quâ Deum non habuisse præceptum.

Secundò dici potest, solum negasse hos Patres Christo impositum fuisse præceptum eo modo, Non eo modo cum illis circumstantiis, quibus imponi præcepta solent hominibus, ita nimirum ut invitos ligent, aut quasi Christus præceptis aut legibus indigeat, sicut alii homines indigent, & quoad vim, ut aiunt, legum coactivam; Christus si quidem ultro se divinæ voluntati obtulit, planè- que spontaneè, promptissimòque animo in omnibus Patri obedivit, ac proinde ex nullâ necessitate, ut in nobis contingit, fuit ei impositum præceptum: & hoc sensu Sanctus Chrysostomus Homiliâ septimâ ad Philipp. seipsum declarat. Sanctus Augustinus tamen tractatu 82. in Joannem, & alii ex Latinis proprium à Patre impositum Christo fuisse præceptum affirmant.

Ex quibus à fortiori sequitur non esse admittendum quod docent nonnulli, Christo scilicet præceptum proprium non potuisse imponi. Hoc inquam, non est admittendum, tum quia Scriptura, ut vidimus, ait Christo de facto fuisse imposita præcepta, Scriptura autem, ubi nullum sequitur inconveniens, ut hic non sequitur, in sensu proprio est accipienda. Deinde præceptis naturalibus, ut non mentiendi, non odio habendi Deum, & similibus absque omni dubio Christus tenebatur; quidni ergo teneri etiam potuit præceptis positivis. Tertiò, Christus fuit subiectus Patri, etique quoad naturam humanam inferior; ergo sub hac ratione capax fuit præcepti positivi sibi à Patre impositi: nec ulla in hoc apparet indecentia, magis quàm in subjectione & servitute; nullo ergo modo hoc de Christo videtur negandum, præsertim cum hinc occasionem sumere potuerit ad varios virtutum actus in ordine ad humani generis redemptionem exercendos.